

DE QUMRANENSIVIRORUM REGIMINE *

De Qumranensi communitate ejusque pietatis cultu bis jam in hac sede pauca locuti, cum plura interim peractis hac de re studiis congessemus quae Deo volente ac si vita comes fuerit posteriore tempore praelo commissuri sumus, hodie notitiis e Qumranitica Regula summatim collatis de regimine quedam lecturis proponere placet.

Ab ipsa primum communitatis structura et temperatione erit incipiendum, datis deinde notionibus de singulis in communitate gradibus concludetur articulus exhibitis iis quae de singulis magistratibus scimus.

Praenotamen

Cum in his quae de pietatis cultu Qumranensi his in commentariis scripsimus¹ certa exponere nobis visi simus, itemque nobis persuadeatur de aliis non paucis quae cogitationem et usum vitae in re spirituali et ascetica Qumranensium virorum tangunt indubie disseri posse, nostrae partis esse arbitramur statim fateri sincere talem non dari certitudinem opinandi in his quae ad regimen spectant. Textus, qui servantur nobis, et pauci sunt et legentibus nobis obscuri non raro manent.

Memorare juvat ea, quae hac de re clarissimus F. Nötscher scripserat:² Semper mente tenenda esse, quod non semper fiat, quae sequantur: 1. Traditionem non dare perfectam imaginem, sed maxime incomple-

* Commentariorum sigla adhibentur sequentia:
JBL Journal of Biblical Literature (Philadelphia, Pa)

JSS Journal of Semitic Studies (Manchester)

RB Revue Biblique (Paris)

VT Vetus Testamentum (Leiden)

¹ *Eph. Carm* 9 (1958) 391-411 et 11 (1960) 53-74.

² F. NÖTSCHER, *Vorchristliche Typen urchristlicher Ämter? Episkopos und Mebaqer*. In *Die Kirche und ihre Ämter*. Festgabe... Kard. Frings... dargeboten, hrsg. von W. Corsten, A. Protz und P. Linden (Köln 1960) 316-317. — Textum clarissimi auctoris, in quibusdam paullulum contractum, pro posse Latine convertimus reddimusque oratione obliqua.

tam. Notitias et documenta hujus organizationis, inclusis manuscriptis noviter inventis, esse valde fragmentaria...

2. Textus enodationi saepe difficultates quae solvi vix possint opponere; sensum locorum, etsi vocabula nota videantur, saepe desiderata perspicientia determinandum non esse, varieque explicari posse.

3. Normas obligantes, quae in *Regula Ordinis* contineantur..., quasi 'numerum complexum' constituere; ordinationem uniformem et systematicam nusquam appareri; potius quae in singulis casibus animadversa vel determinata sint, pro casuum necessitate sine ordine congesta videri... Jura et potestates officiorum nusquam plene enumerata neque ad invicem bene determinata esse, sed e contra saepe interlabi invicem. Quod ultimum difficultatis genus non tantummodo e textibus obscuris et fragmentariis pendere, sed rei veritati convenire videri. 'Multa consuetudini tributa esse neque umquam scriptis mandata'³. Neque in publicorum officialium agendi ratione talem exactam facultatum divisionem umquam tota Antiquitate usu venisse, illam autem proprii munera potestatum quasi zelotypiam esse 'gloriosum inventum' administrationis publicae quae nostris temporibus viget.

Quibus a clarissimo viro dictis recte monemur, ne nimia certitudinis ambitione seducti facilius ea pro certis astruamus quae opinio dictat.

I. DE STRUCTURA COMMUNITATIS

I. Apud quosnam auctoritas fuerit

Textus non deest qui, si solus inveniretur, rem facile dijudicandam esse monstraret :

9,7 « Tantummodo filii Aharon dominabuntur in judicio et in opibus et jussu eorum exeat sors in omnibus determinationibus virorum Communitatis ».

Quo loco enim clare stabilitur totam auctoritatem sive in rebus legislativis judiciariisque (במשפט) (ביהוּן) sive in re oeconomica a solis exerceri sacerdotibus quorum jussu omnia decidantur. יצא דגוויר « exiturum esse / exisse sortem », terminus technicus in litteris Qumranensibus fre-

³ Locus prolatus est ex articulo scripto ab E. F. SUTCLIFFE, S. J., *The General Council of the Qumran Community*, in *Biblica* 40 (1959) 983.

quenter occurrens, idem significat quod « rem competenti Communitatis auctoritate decidendam / decisam esse ». Haberemus ergo *hierarchicam* Instituti hujus constitutionem.

Sed minime tam facili gressu haec de forma regiminis quaestio dirimi potest. Huic enim textui, in se tam univoco, non pauci *Regulae* loci tradicunt. Contextus de separatione Communitatis a ‘mundo’ idem est in loco supra citato et in loco quem jamjam prolaturi sumus, sed cum illic hierarchica Unionis constitutio proclamari visa sit, hic auctoritas non sacerdotibus solis, sed et sacerdotibus et laicis omnibus, qui in comitia convenenrant, aperte tributa est.

5,2 « ... respondentes ad nutum filiorum Šadoq, sacerdotum custodientium foedus, et ad nutum multitudinis virorum/

5,3 Communitatis perseverantium in foedere : jussu eorum exiet dispositio sortis pro omni re, pro Lege et pro copia et pro iudicio... »⁴

De hoc textu en quaedam : etsi certus non est sensus vocis **ומשיכים** quam alii aliter vertunt,⁵ tamen auctoritatem et apud sacerdotes et apud comitia plebis esse haud obscure apparet.

Sacerdotes aperte ita appellati (**הכוהנים**) tamen hic non filiorum Aharon, sed filiorum Šadoq titulo insigniti alteram constituunt partem, alteram vero « *plebis comitia* » quae verborum comprehensione (id est « multitudine virorum Communitatis ») significantur; cuius significationis similitudinem inveniri quidam dicunt in voce τὸ πλῆθος de Hierosolymitana ecclesia in *Actibus* hinc inde adhibita.⁶

Res autem decidenda in utroque loco fere iisdem dicendi modis indicuntur; confer hanc synopsin :

9,7 :

יצא הנורל לכל חכון :
במשפט וכ呼吸 :

5,2/3

יצא חכון הנורל לכל
[להורה] ולהון ולמשפט

Evidens est agi de iisdem utrimque rebus, nempe de omnibus negotiis ab auctoritate expediendis; quae tamen auctoritas utrimque alia est

⁴ De significatione termini technici « sors » (**נורל**) videsis infra pag. 408 nota 32 et pag. 409, nota 34.

⁵ En quaedam interpretationis tentamina : vel « sacrificia tributa solvere » — ita MOLIN, *Söhne des Lichtes*, pag. 24, qui huic versioni apposuit signum dubium (« ? »), et quidem bene, nam vix ita vertendum ; vel « [in comitiis interrogatus] respondere » ; vel « [sui officii] rationem reddere » — ita fere MAIER, *Die Texte vom Toten Meer* (München / Basel 1960) II 22.

⁶ cfr. *Act* 4,32 ; 6,2,5 ; 15,12.

(aut soli sacerdotes, aut sacerdotes et Communitatis comitia). Quomodo inter haec conveniat, non liquet.

Insuper textus modo prolatus solus non est, sed alii quoque *Regulae loci hunc* (5, 2/3) contra illum (9,7) confirmant. Sic, ubi de jurejurando ab intrantibus praestando sermo recurrit, de re nostra legimus singulos promittentes se conversum iri ... secundum omnia quae revelata sint

5,9 «... *filiis Sadoq, sacerdotibus custodientibus foedus et quae-rentibus beneplacitum Ejus [= Dei], et multitudini viro-rum foederis eorum [= sacerdotum] /*

5,10 *voluntariorum Unionis ad veritatem Ejus et ad ambu-landum in beneplacito Ejus... ».*

Epitheta et sacerdotes et multitudinem hoc loco ornantia longioribus verborum ambagibus explicantur, sed duae auctoritatis partes eodem indicantur modo ac in praecedenti loco.

Quod quidem de textibus qui sequuntur eadem valet ratione. Sunt autem textus de scrutinis et examinibus. Definitiva enim admissio, probationis periodo superato, non conceditur nisi

6,19 «... *jussu sacerdotum et multitudinis virorum foederis eorum... »*

Enuntiatio brevis utramque partem apprime designat. Alium quoque textum prolaturi primum dicamus hīc agi tantummodo de affirmandis partibus duabus penes quas est auctoritas, ideoque nihil referre nostrā cum disputari de occasione hujus scrutinii (dicentibus aliis de admissione novitiorum, aliis de anno membrorum omnium scrutinio hīc agi) tum de vera scriptio[n]is ב:ג lectione dubitari; primum enim dubium quaestionem de auctoritate examinante non tangit, secundum vero sen-sum enuntiati non mutat, sed ad summum terminologiam in designanda ‘altera auctoritatis parte’ adhibitat afficit. Ecce textum :

5,21 «... *jussu filiorum Aharon sponte se voventium in Unione ad stabiliendum /*

5,22 *foedus Ejus [= Dei] ...*

... et jussu multitudinis Israel⁷ sponte se voventium ad convertendum se in Unione ad foedus Ejus... »

Id quod probare intendimus — auctoritatem et apud sacerdotes et apud comitia plebis esse — luculenter e textu patet. Contra versiones vel

⁷ ... יִשְׂרָאֵל רַב פִי ...

« multitudinis Israel » (רֹוב יִשְׂרָאֵל) quam nos quoque secuti sumus, vel « multitudinis filiorum Israel » (רֹוב בְּנֵי יִשְׂרָאֵל). cl. M. Martin duo puncta [׃] ceteroquin saepius in IQS occurrentia neque contractionis (רֹב) pro (רֹוב בְּנֵי) neque abbreviationis (רֹוב בְּנֵי רֹב) signum usquam esse, sed locum corrigendum indicare. Lectio ergo certa non obtinetur a nobis, sed sensus in omni quae fieri potest hypothesi, mutata utique terminologia, immutatus manet.

Nobis apud quosnam auctoritas in Quamranensi Communitate fuerit quaerentibus primus obvius fuit locus e quo hierarchicam in Communitate vigere constitutionem et auctoritatem apud solos residere sacerdotes arbitrii essemus, nisi contra hunc unum⁸ potuissemus proferre locos non minus quam quatuor⁹ quibus indubie auctoritatem et apud sacerdotes et apud ceteros qui Communitatis sunt membra aequaliter esse docemur. Qua ratione primus locus ('hieraticus') cum ceteris sit uniendus profecto non liquet; certum tamen nobis appareat constitutionem fundamentalem Communitatis Qumranensis temperatam fuisse, ut et sacerdotibus et membrorum comitiis tributa esset auctoritas.

Qua opinione confirmamur et alio termino qui in hoc manuscripto invenitur tricies quater : הרבים. Ad pedem litterae haec vox « multos » significat, vel ex Aramaica lingua etiam « grandes »; primum autem significationis discrimen, melius reddendum Graeco vocabulo οἱ πολλοί, pro recta versione retinere maluerimus, hac voce « omnes qui pleno jure Instituti membra sunt » significari censentes, non tamen sigillatim consideratos, sed prout quasi « concilium generale » seu « plena membrorum comitia » constituunt, qua in significatione admittenda coincidunt nobiscum fere omnes, etiam hi quibus Aramaica significatio « Grandes » semantice magis arridet.¹⁰ Curiosum est annotare hoc vocabulum non inveniri in nostro manuscripto nisi columnis sexta et septima; loci autem 8,19.26 et 9,2 secundum contextum ad septimam columnam trahendi sunt: agitur enim ibidem de quodam appendice seu de 'extravagantibus' ad normas juridico-poenaes quarum 'corpus' precise invenitur in septima columna. Si autem quaerimus, qua tandem ratione loci, ubi auctoritas « Multis » (intellige τοῖς πολλοῖς seu τῷ πληθεῖ) tribuitur, conciliandi sint cum supra laudatis, ubi eadem tribuitur auctoritas et sacerdotibus et « multitudini », haud difficulter inveniemus responsum

⁸ IQS 9,7.

⁹ IQS 5,2/3.9/10.21/22; 6,19.

¹⁰ confer ea quae hac de voce scripsimus in *Eph Carm* 9 (1958) 400, nota 53 et 11 (1960) 63, nota 81.

vocabulo « Multorum » (**הרכבים**) designari Concilium Generale quod et sacerdotum (« filiorum Aharon / Sadoq ») et multitudinis laicorum (« multitudinis filiorum Israel ») coetibus concretum supremam constituit auctoritatem. Rem ita se habere e locorum testimonio liquet. En quaeradum exempla : Ordo sedium pro Concilio Generali (**מושב הרכבים** in *Regula* indicatur gradibus qui sequuntur : sacerdotes — senes — populus.¹¹ Ii, quibus ‘ respondendum est ’ (i.e. qui auctoritate pollut), modo « sacerdotes et multitudo »,¹² modo « sessio Multorum »¹³ appellantur, quo in contextu supra laudata specificatio (sacerdotes — senes — populus) additur. E parallelismo locorum utrobique de eadem in concreto auctoritate aliis vocabulis designata agi pro certo aestimamus.

Quae rerum interpretatio ex eo quoque solidior fit, quod munus « examinandi » illi competit auctorati quae locorum testimonio modo « sacerdotum et multitudini »¹⁴ modo « Multorum » (i.e. Concilii Generalis) vocabulo indicatur, et quidem locis non paucis, e quorum numero imprimis proferendus est textus de secundo novitiorum examine, ubi certe sine ullo significationis discriminé in priore enuntiati parte auctoritas « Multorum », in posteriore autem « sacerdotum et multitudinis » auctoritas nominatur¹⁵; ceteroquin auctorati « Multorum » attribuuntur primum et postremum novitiorum examen,¹⁶ et quatuor examina subeunda a membris qui vel debilitate defecerant vel comissa culpa puniti erant, ut iterum in locum pristinum reciperentur.¹⁷

Quibus omnibus consideratis sat firmiter stat omnem regendi auctoritatem apud concilium generale seu comitia plenaria fuisse, qui coetus, cuius membra et sacerdotes et laicorum multitudo simul erant, « Multorum » nomine appellabatur. Quae sententia multis quidem textibus confirmata appareat neque tollitur unico illo loco quo hierarchicam esse Communitatis auctoritatem asseritur. Utrum iste ‘ hierarchicus ’ locus¹⁸ ex antiquiore forsitan legislatione in *Regulam* transiverit, an quomodo explicanda sit ejus inter leges diversa praecipientes praesentia, certo non liquet, neque hac in re hypotheticis opinionibus indulgere juvat.

¹¹ IQS 6,8.

¹² v. gr. IQS 5,2/3.

¹³ v. gr. IQS 6,9.

¹⁴ IQS 5,21/22 ; 6,91.

¹⁵ IQS 6,18/19.

¹⁶ IQS 6,15/16. 21.

¹⁷ IQS 7,21 ; 8,19.26 ; 9,2.

¹⁸ IQS 9,7.

2. Quid de auctoritatis exercitio comperimus

Quae examina aliaque auctoritatis exercitia, in quantum opinari fas est, in sessionibus Generalis Concilii suum locum obtinere censemur. Quo modo his in sessionibus res processerint non omni qua desideramus claritate videmus, tamen novimus quaedam. E textu prolato,¹⁹ jam scimus in Concilii sessione praesentem catervam divisam esse in « sacerdotes » et « senes » et « totum populum ». Utrum haec divisio solam honoris praecedentiam secum tulerit, an etiam jura potiora, ignoramus. Notum est nobis strictum medium ordinem non tantummodo has divisisse partes, sed intra quamque partem rigorose observatum esse : juxta hunc ordinem singuli interrogabantur, singulis respondendum erat.²⁰ Agenda singulis sessionibus ab ipso Concilio jubebantur acquiescentibus necessario membris;²¹ debitibus conditionibus tamen singula quoque membra rogationem ad Concilium ferre poterant,²² immo confratrem reum facere, si criminis testes inveniebantur; quibus deficientibus accusatio nulla deferri debebat.²³

Qaedam in sessions ordinate agendas delicta in ‘codice poenali’ ponuntur, uti sunt abusus loquendi in Concilio, si interrogatio non praecesserit²⁴ vel, quod pejus est, alium dum loquitur interrumpendi, qui abusus forsitan non infrequens fuerit, nam *bis* prohibetur.²⁵ Cum ex una parte iste nimius in loquendo agendoque fervor cohibendus est, alia ex parte socordiae negligentiaeque actus vitandi sunt. Vitia quae a textibus reprehenduntur, non tam pervia sunt versioni quam ut omne dubium excludatur, sed agi videtur de his : ne quis in sessione dormiverit, oscitatus sit (?), expuerit, e sessione abierit (?).²⁶ Circa ea qua de viis dormiendi, oscitandi, e sessione abeundi²⁷ dicuntur, etsi non omnes grammatices et vocabulorum difficultates enodare possumus, recte judi-

¹⁹ IQS 6,8.

²⁰ IQS 6,9,11.

²¹ IQS 6,11.

²² IQS 6,11-13 ; cfr. de hoc difficili textu studium exaratum a cl. R. MARCUS, *Mebagger and Rabbim in the Manual of Discipline*, JBL 75 (1956) 298-302.

²³ IQS 6,1.

²⁴ IQS 6,1.

²⁵ IQS 6,1 et 7,9.

²⁶ IQS 7,10-13 ; obscuritatem augent praesertim verba נִשְׁבַּע (oscitari?) et נִשְׁבַּר (abire?) quae in contextu ab aliis aliter vertuntur.

²⁷ « e sessione » legitur in 4QS^e ad locum ; IQS habet « in sessione ». Abbreviatio 4QS^e indicat unum ex duodecim manuscriptis fragmentariis quae in « quarta » spelunca regionis Qumranensis repperta sunt et partes *Regulae* continent ; de quibus notitiam dat J. T. MILIK in RB 67 (1960) 411-416.

cabimus, si prae oculis habemus apud Qumranenses per totum anni decursum tertiam noctium partem in communi sessione vigilandi morem viguisse, unde singulos — praesertim eos qui 'in margine concilii' obscuritate sederent — talibus socordiae actibus tentatos esse admirationem movere non debet.

Tamen isti defectus, si in nocturnis vigiliis acciderint, eo lamentabiliores aestimandi fuerunt, quo magis nocturnae sessiones characterem religionis proprium prae se tulerant, ut e textibus elucet.²⁸ Res autem mere profanae, velut quaestiones de bonis administrandis vel de jure dicendo, in comitiis diurnis potius actae fuisse videntur. Sed in omni auctoritatis exercitio regiminis structura potius *temperata* sese manifestat, cum praeter quaedam elementa hierarchica et strictum sedium ordinem illa appareat exercendorum jurium methodus, quam hodie 'democraticam' appellare consuevimus: Universarum enim majoris momenti rerum decidendarum potestas penes omnium membrorum comitia seu Generale Concilium erat. Quod si quaeritur, quo modo in istis comitiis seu conciliis res decisae fuerint, 'democratica' methodus clarius adhuc appareat. Secluso enim unico textu 'hierarchico' supra memorato, omnes de hac re loci declarant res decidendas singulorum *suffragiis* esse. Iterum iterumque iste decidendi modus praescribitur,²⁹ de membris singulis dicitur eos interrogandos esse, in poenarum numero habetur non interrogari.³⁰ Singulorum autem erat ex ordine «respondere».³¹ Quo e contextu etiam idiomaticas phrases de «*sorte exeunte*» (יֵצָא הַנּוֹרֶל)³² de suffragiis datis vel dandis intelligendas esse censemus. Praeterea nullam, excluso iterum unico textu 'hierarchico' quem diximus, ansam nullumque indicium *Regula* parebet, ex quo concludere forsan possimus singulorum suffragia aequo jure gavisa non esse. Mutua illa subordinatio, qua unusquisque 'proximo suo' loco priori ordineque potiori oboedire tenebatur,³³ quae in cotidianae vitae actibus, monasticam vitam quod attinet, tanti momenti videtur fuisse, in rebus majoribus a Concilio Generali tractandis ad hoc unum tandem reducta appareat, ut singuli

²⁸ cfr. v. gr. locum principalem de istis vigiliis nocturnis 6,7-8, qui omnino spiritualem harum sessionum finem pandit.

²⁹ 6,4.9.11.12.15.18; 7,21.

³⁰ cfr. notam praecedentem; de poena exclusionis ab interrogatione 8,25.

³¹ 5,2.15; 6,9.

³² vocabulum נָסָר (sors) his legitur locis: 1QS 1,10; 2,2.5.17.23; 3,24; 4,24.26; 5,3; 6,16.18.22; 9,7; 10,4; 11,7. — De «sorte exeunte» fit sermo locis sequentibus: 1QS 5,3; 6,16.18.22; 9,7. — Cfr. ea quae paulo inferius de «sorte» dicturi sumus et notam 34.

³³ cfr. *Eph. Carm* 11 (1960) 61-63.

ex hoc sedium et antecessionis ordine unus post alium — alii aliis tempore priores, non auctoritate potiores — suffragia darent.

Ista autem ‘democratico modo’ data suffragia et res inde decisae religiosa mente habebantur pro voluntate Dei (רִצְוֹן אֱלֹהִים) qui Suas agendi normas in usum vitae deducendas his comitiis scrutiniisque habitis Qumranensium communitati virorum ostenderet. De nocturnis vigilarum sessionibus nullum est dubium quin prorsus religiosae dicendae sint, de ceteris quoque conciliis ‘atmosphaeram religiosam’ afuisse minime credendum est. Qua in re notare juvat phrasim de sorte exeunte e terminologia religionis sumptam esse, qualem significandi vim — etsi majore numero textuum suffragia data significat — in *Regula* quoque retineri cum dicitur Unionis membra esse « viros sortis Dei » (אֲנָשִׁים נָוְרָל אֱלֹהִים) singulorumque locum in ordine prioritatis esse « sortem eorum in concilio Dei »³⁴ (נוֹרָלוּ בְּעֵצֶת אֱלֹהִים). Ideoque nobis dicendum videtur e mente Qumraniensium virorum unum e modis quaerendi et inveniendi Deum Deique voluntatem concretam hic et nunc faciendam — eumque non parvi momenti — esse praecise in hoc dandorum a singulis suffragiorum negotio cui illa vis inest religiosae vitae propria atque hominibus irreligiosis maxime mira, ut quae modo mere humano, imo populari ratione deciduntur, ea, postquam decisa sunt, divina aestimentur oracula.

II. DE GRADIBUS AUCTORITATIS

Publica res, quamvis vel maxime sit popularis, esse non potest, nisi praeter auctoritatis exercitium quod omnibus commune, quod aequabile, quod penes populum est, publicae quoque rationes, officia, munera sunt, magistratum ministris — sive singulis, sive in coetus uniter junctis — comissa. Quod quidem non minoris, quam in re civili, veritatis est in monastica re. De his ergo in sequentibus nobis quaerendum.

I. Quorum coetus in *Regula* nominentur

a) *De sacerdotibus*

Sacerdotum mentionem vicies cum facit *Regula* Qumranensis diversis vocabulis usa est : decies quater qui hoc munere funguntur vocabulo

³⁴ cfr. notam 32 ; textus supra prolati inveniuntur 1QS 2,2 et 1,10 respective ; idem « sortis » vocabulum similio modo adhibitum apparet locis sequentibus : 1QS 2,5.17.23 ; 3,24. De significandi vi termini technici cfr. etiam לְכַת, המונה ” נוֹר “ בכתביה של כת מרכז ; בית מקרא, 1 (5716[1955/56]) 290-99.

proprio « sacerdotes » dicuntur,³⁵ duobus in casibus epitheton additur « filii Šadoq »,³⁶ sexies iidem nomine Aharon designantur, idque bis formulā « filii Aharon »,³⁷ quater solo « Aharon » nomine (quod tum accidit, cum tota Communitas bimis nominibus « Aharon et Israel » appellatur).³⁸ Unico loco de « uncto Aharon »³⁹ legimus, quem eschatologici aevi sacerdotem magnum putamus.

Quid ergo locis modo laudatis de sacerdotum apud Qumran degentium munere doceamur primum videndum.

E textu ‘ hierarchico ’ jam pluries prolati⁴⁰ sacerdotibus solis omne imperium competit. Quid hoc in concreto significat, vel qua ratione cum tota legislatione aperte ‘ democratica ’ concordet enodare non valimus, neque liquet utrum sacerdotes, cum essent ordine primi, quasi « primi inter pares » sola dignitate ceteris antecesserint, an etiam fruiti sint auctoritate et jure potiore; textus respectivi primum locum indicant, connexa munera non ostendunt.⁴¹ De sacerdotum parte in examinandis postulantibus, novitiis, punitis quaedam jam dicta sunt: e locis indicatis non videtur plus sacerdotibus datum esse auctoritatis quam partem cum ceteris membris in jure aequalem. Auctoritatem sacerdotes hoc ergo in negotio exercuisse putamus non vi muneris sacerdotalis, sed prout fuerint membra Generalis Concilii penes quod fuit ‘ in solidum ’ tota auctoritatis. Ut sacerdotes tres in quindecim virorum collegio, et unum sacerdotem in decem virorum nucleis infuisse scimus, ita eorum in illo collegio et his in nucleis officia ignoramus.⁴² E notitia in quadam poenali paragrapho⁴³ obiter tradita certiores sumus sacerdotes « inscriptos esse in libro » quod probabiliter nihil aliud significat nisi in communi membrorum omnium elenco ad nomina sacerdotum de eorum statu mentionem factam fuisse. De illo enim communi membrorum elenco textibus multis abunde constat.⁴⁴

³⁵ בְּנֵי הַכֹּהֲנִים : 1,18.21 ; 2,1.11.19 ; 5,2.9 ; 6,8.19 ; 7,2 ;
בְּנֵי כֹּהֲנִים : 8,1
בְּנֵי הַכֹּהֶן : 6,5 [+6,5 dittogr.]

³⁶ IQS 5,2.9.

³⁷ IQS 5,21 ; 9,7.

³⁸ IQS 5,6 ; 8,6.9 ; 9,6.

³⁹ IQS 9,11 — Ita vertendum putamus atque cum cl. L. H. SILBERMANN, *The Two Messiahs* of the *Manual of Discipline*, in *VT* 5 (1955) 77-82, rejicimus et versionem « messias » et a fortiori usum litterae initialis majusculae (« Messias »)

⁴⁰ IQS 9,7.

⁴¹ cfr. v. gr. IQS 2,19 ; 6,3/4.8 ;

⁴² de nucleis decem virorum IQS 6,3/4 ; de collegio xv virorum IQS 8,1.

⁴³ IQS 7,2.

⁴⁴ IQS 5,23 ; 6,10/11.22.26 ; 7,21 ; 8,19 ; 9,2.

Praeter ista pauca, regimen instituti quod attinet, plura sunt quae de munere sacerdotali proprio, rem religiosam quod attinet, Regula pandit : inter quae sacrificalem defecisse cultum admirationem movere non debet, cum de virorum Unione ageretur qui et in deserto viverent ab unico legitimi cultus loco remoti, et insuper talem cultus locum, nempe Hierosolymitanam Aedem, sacerdotibus illegitime ibi fungentibus, pollutam haberent. Qumranitis sacerdotibus ergo datum est orationum munus : benedicendi imprecandique officium; in his autem — cum hac vice non de pietatis cultu, sed de regimine agatur — immorandum non est.

Epitheta sacerdotibus data — praeter nomina « filiorum Aharon » et « filiorum Sadoq », de quibus jam sumus locuti — in *Regula* inveniuntur haec :

5,2 « ... qui servant foedus... »

5,9 « ... qui servant foedus et quaerunt voluntatem Ejus / [Dei] ... »

5,21 « ... qui sponte de devovent in Unione ad erigendum /

5,22 foedus Ejus [= Dei] et ad invigilandum de omnibus statutis Ejus quae mandavit ad faciendum... »

Difficile dictu est, utrum haec mera epitheta « ornantia » sint an aliquid sacerdotibus proprium significare intendant. Certe ratio « foederis » toti Instituto aequa ac solis sacerdotibus convenit, sicut etiam studium quaerendi voluntatem Dei — nisi quis cum cl. O. Betz⁴⁵ vellet affirmare voluntatem divinam a solis sacerdotibus ‘quaerendam’, a ceteris Instituto mebris vero ‘faciendam’ esse (perperam, nostro judicio, nam omnium Qumranensivm virorum esse Deum quaerere e textibus nimis luculenter appetat).⁴⁶ Unde in hac quoque quaestione iterum apparere videtur quod jam aliunde diximus : non pauca vi Regulae sacerdotibus Qumranensibus convenisse non quod sacerdotes, sed quod Qumranenses fuerint.

b) *De Levitis*

Quinques in Regula de Levitis fit sermo, sed pauca de his quae Levitarum fuerit inde comperimus. Quater officia eorum quae ‘liturgica’ vocari possint indicatur,⁴⁷ quinto autem loco⁴⁸ ordo antecessionis ita stabilitur ut sacerdotes sequantur Levitae, deinde totus populus. Extra

⁴⁵ O. BETZ, *Offenbarung und Schriftforschung in der Qumransekte (Wissenschaftliche Untersuchungen zum Neuen Testament 6)* Tübingen 1960, pag. 21.

⁴⁶ cfr. quae hac de re scripsimus *Eph Carm* 11 (1960) 55ss.

⁴⁷ IQS 1,19-20.22-24 ; 2,4-9.11-17.

⁴⁸ IQS 2,20.

hos textus nusquam in tota *Regula Levitae* apparent. Unde cum certitudine concludendum est illos in Qumranensi communitate auctoritatis vel publicae administrationis officium obtinuisse nullum.

c) *De senibus*

Semel tantummodo in tota *Regula* « senum » vocabulum invenimus (הַזְקִינָם). Legimus enim in sexta columna, in illa sectione quae incipit a verbis « Haec est regula pro sessione Multorum » :

- 6,8 « ... Quisque in positione sua : sacerdotes sedebunt primum,
et *senes* secundo
6,9 et reliquum / totius populi sedebunt, quisque in positione
sua... »

Praeter istam allusionem ad senum ordinem in Generali Concilio ne verbum quidem de illis fit in ulla *Regulae* parte.

d) *De collegio xv virorum*

In paene eadem nescientiae conditione invenimur in his quae quindecim virorum collegium attinet. De ipsis viris mentio fit unico loco, initio nempe columnae octavae, quae incipit :

- 8,1 « In concilio Unionis sint duodecim viri et tres sacerdotes
8,2 perfecti in omni revelato e tota / Lege... »

Multum disputatum est, utrum hic textus intelligendus sit de duodecim viris, e quorum numero tres sint sacerdotes, an potius de quindecim viris e quorum numero duodecim sint e laicorum ordine, tres vero sacerdotes. Opino jam antea communior, secundum quam de quindecim viris agatur, nunc jam certa esse dicitur : cl. J. T. Milik enim et in suo libro *Dix ans de découverts dans le désert de Juda*⁴⁹ et in notitiuncula de inventis quartae speluncae in *Revue Biblique* tradita⁵⁰ ad fragmentum quoddam alludit cuius e textu jam certum evasisse dicit numerum quindenarium; in elenco tamen variarum lectionum ad *Regulam nostram* e fragmentis quartae speluncae selectarum, quam idem cl. auctor anno elapsō in iisdem commentariis⁵¹ publici juris fecerat, talis textus non appetit.

⁴⁹ opere citato, pag. 111.

⁵⁰ RB 64 (1957) 589.

⁵¹ RB 67 (1960) 412-415.

De officiis et muneribus hujus collegii comperimus nihil. Textus ipse supra prolatus nihil innuit nisi quod virtutes enumerat de quibus non facile est judicatu quoisque de hoc collegio dicantur : ceteris enim veri nominis membris eodem jure attribui possunt. Ad summum e textu eruitur his quindecim viris ceteros vel communibus ipsis virtutibus antecellendum fuisse.⁵²

e) *De totius populi divisione*

Ultimus ordo (ultimus, inquam, non numero certe, neque, necessario jure, sed antecessionum loco) nomine « *populi* », vel « *totius populi* » (העם כולם) appellatur. Legimus enim vel de « sacerdotibus et populo », vel de « sacerdotibus, levitis, toto populo », vel de « sacerdotibus, senibus, toto populo ». Is autem ordo subdivisus apparet — saltem in quodam textu de festo foederis,⁵³ ubi quidam agi de processione autumant — in « milia » et « centenos » et « quinquagenos » et « denos »; quae divisio certe rem militarem sapit et exodus Israel per desertum de quo in *Exodi* et *Deuteronomii* libris,⁵⁴ vel etiam rei militaris ordinationem quae apud Maccabaeos (exodus per desertum certe imitantes) vigebat.⁵⁵ Utrum isti numeri saltem sensu lato cohaereant vero, ut ex quibusdam Philonis Alexandrini de therapeutis et Flavii Josephi de Essenis loquentium locis⁵⁶ conjiciendum esse nonnulli sibi persuadent, an potius pro numeris mere ‘symbolicis’ habendi sint, quod inspecta regione Qumranensi quae non tam facile « milium » virorum vitam continuam ibi possibilem reddit veri similius videtur, e textibus ipsis decernendum non est.

Ceteroquin aliis *Regulae* locis non apparet nisi nucleus decem virorum, de quo praecipitur, ne deficiat nec sacerdos⁵⁷ nec « vir quaerens in lege die ac nocte ».⁵⁸

Curiosum est notare peritos qui de collegio duodecim virorum et trium sacerdotum tam acriter disputant, utrum computandi sint « 12+3 »

⁵² Fusius de quaestione xv virorum vides apud E. F. SUTCLIFFE, S.J., *The First Fifteen Members of the Qumran Community. A note on IQS 8,1 ff.*, in *JSS* 4 (1959) 134-138.

⁵³ IQS 2,21/22.

⁵⁴ *Exod* 18,21.25 ; *Deut.* 1,15.

⁵⁵ I *Macc.* 3,55.

⁵⁶ PHILON ALEXANDRINUS, *Quod omnis probus liber sit*, XII n. 75 (p. 457 M); Philonis Alex. opera ediderunt L. Cohn et P. Wendland - vol. VI (ed. L. Cohn et S. Reiter) pag. 22 ; JOSEPHUS FLAVIUS, *De bello Judaico* II, VIII 4, § 124 - ed. Niese (Berlin 1955) vol. VI. pag. 177 ; *Antiquitates XVIII*, I 5, § 20 - ed. Niese, vol. IV, pag. 143.

⁵⁷ IQS 6,3/4.

⁵⁸ IQS 6,6/7.

an potius « 12—3 », eandem neque umquam quaestionem movere de decem viris et duobus qui sunt « sacerdos » et « vir quarens in lege », utrum computandi sint « 10+2 » an potius « 10—2 ».⁵⁹

2. Qui magistratus in Regula nominentur

Hanc ultimam aggredientes quaestionem iterum de cautelis in prooe-mio positis te, humanissime lector, monitum velimus. Magistratus enim quod attinet *Regulae* textus et pauci sunt et valde breves nec discussionibus vacant. Cum et ipsa terminorum conversio disputabilis sit, imprimis locos omnes Hebraeorum sermone, quo primigenie scripti sunt, ex or-dine proferamus. Sunt enim sequentes :

- (a) **האיש המבקר על הרבים** (6,12)
- (a') **האיש המבקר על מלאכת הרבים** (6,20)
- (b) **האיש הפקיד בראש הרבים** (6,14)
- (c) **האיש השואל את עצת | הרבים** (6,12/13)
- (d) **איש דורש בתורה ים ולילה | תמיד** (6,6/7)
- (d') **האיש הדורש [?] אל** (8,12)
- (e) **המשכili** (1,13; 9,12; 9,21)

De singulis pauca.

a/a') De Mebaqqer

Quae vox « mebaqqēr » (**מבקר**) converti potest « *inspectoris* » titulo, pro quo Graece ἐπίσκοπος poni potest, unde nonnulli hunc mebaqqēr 'episcopo' nascentis Ecclesiae comparant, cum tamen utriusque munus multum differre constet. Idea enim supremi cuiusdam magistratus, titulo 'mebaqqēr' insigniti, non a Qumranitica *Regula*, sed e *Documento Damasceno* eruta est, quo multis in locis de quadam alta hujus nominis auctoritate sermo recurrit.⁶⁰

Nostra enim in *Regula* nomen « mebaqqēr » non legitur nisi locis duobus, adjectis tamen utrimque vocabulis non plane iisdem, ut dubitare possimus agaturne de eodem bis magistratu, an de duobus. Prior enim

⁵⁹ de istis Decem cfr. *Eph Carm* 9 (1958) 399, nota 50.

⁶⁰ Documentum Damascenum seu Šadoqita 9,19.19.22 : 13.6.7.13.16 ; 14,8.11.13.20 ; 15,8.11.14.

locus⁶¹ « *inspectorem super Multos* » contra voluntatem Multorum loqui vetat — qui textus claritate non eminent, sed saltem id certi habet, ne huic inspectori ‘supremum Communitatis imperium’ ascribatur, — locus vero posterior « *inspectorem super labores et lucra Multorum* »⁶² novitiorum secundo novitiatus anno ineunte opes accipere easque separatim in codicem referre jubet. Quo e textu concludas eum tali fere munere functum esse quali hodie in religiosis communitatibus ‘procuctatores’ vel ‘oeconomi’. Plura nescimus.

b) *De Paqid*

Nomen quoque פקיד « *inspectoris* » vocabulo verti possit, vel variandi causa ponatur « *revisor* », « *censor* », « *visitator* ». Sunt qui contendunt *hunc* titulum convenire cum Graeco ἐπίσκοπος, vel qui putant officialem hujus nominis reapse non differre a ‘mebaqqēr’ sed eundem diversis vocabulis designari.⁶³ Loco unico quo sermo de Paqid recurrit, non edocemur nisi eum primo novitiorum examini auctoritative interesse, atque insoluta manet quaestio utrum idem sit ac mebaqqēr an potius aliis (quod ultimum nobis probabilius videtur).

c) *De viro qui concilium Multorum interrogat*

Qua verborum comprehensione (האיש השואל את עצת הרבים) forsitan publicum in communitate munus latet. De eo brevi disserere difficile factu est, nam unicus qui eum nominat textus⁶⁴ valde intricatus est quem conjientes vel emendantes diversa diversi dimversimode vertunt neque in eo convenient, utrum magistratus nominentur an jus quoddam circumstantiis quibusdam singulis datum ‘ad casum’ vel negatum.⁶⁵ Forsitan ambae opiniones ita conciliandae sunt ut admittatur agi de officio quodam — quasi ‘speaker’ — quod tamen non uni stabiliter inhaeret, sed per vices modo huic modo illo incumbebat. Quo in casu

⁶¹ IQS 6,12.

⁶² « *labores et lucra* » convertimus, nam מלכיה utrumque significandi vim habet: et labores et opes labore acquisitas.

⁶³ cfr. recensionem operis *Discoveries in the Desert of Judah I*, scriptam a cl. F. M. CROSS jr. in *JBL* 75 (1956) 121-125.

⁶⁴ IQS 6,12/13.

⁶⁵ Qui plura de discussis opinionibus scire desiderat, utiliter conferre potest v. gr. P. WERNBERG-MÖLLER, *The Manual of Discipline* pag. 106, nota 36; et articulum ejusdem auctoris in *VT* 3 (1953) 105-106; — contra quem scripsit O. BETZ quaedam in suo opere *Offenbarung und Schriftforschung in der Qumran-sekte*, pag. 19 et nota 4 (ibidem); — praeterea R. MARCUS, in suo studio de *Mebaqqēr et Rabbim*, *JBL* 75 (1956) 301-302, cuius tamen conclusiones nostras facere non possumus.

sensus paragraphi esset : praeter illum qui actu Praesidis officio fungitur nullus nisi omnibus aperte consentientibus quidquam ad Generale Concilium referre potest.

d/d') *De investigatore*

Ita forte, si de certo munere agatur, ille appellandus est qui his *Regulae* verbis indicatur : **הָרָשֵׁת הַדּוֹרֶשׁ**, vir quaerens in Lege.⁶⁶ Bis de « viro qui quaerit » sermo recurrit. Loco modo laudato praescribitur denis viris, ne inter illos umquam deficiat « vir quaerens in lege »; quod certe non unam admittit interpretationem : vel generatim injungitur Legis studium et biblica meditatio numquam intermittenda, vel istud studium ita proponitur, ut unus semper — alio ali per vices subsequente — huic Legis meditationi vacet (quo in casu istud ‘ semper ’ ad pedem litterae adimpleri possit), vel officium constitutur ‘ biblici investigatoris ’ cui (sensu utique morali) munus incumbit ‘ semper ’ studio Legis se dandi. In illam quam medium proposuimus sententiam praesertim inclinant qui textum sequentem **עַל יְפּוֹת** (qui, prout jacet, intelligi non potest) emendat in **חֲלִיפּוֹת**, quod esset praecise « per vices ». Solutio certa hucusque non datur.

Neque alter locus, ubi ‘ investigator ’ recurrit,⁶⁷ sine disputatione est : textus enim Hebraicus

(1QS נסתר מישראל וنمצא = 4QS^{b,c} = נמצאו | הדורש אל יסתרכו מала מיראת רוח נסונה לאיש)

cum nec interpunctione nec signis vocalium instructus sit, duas — easque inter se contrarias — interpretationes admittit. Si enim caesuram ponas *post* **לָא**, tibi legendum est **לָא** et tota paragraphus ita vertenda : « Et omne verbum absconditum ab Israel, quod inveniat *vir quaerens Deum*, id ab eis abscondat (vel : abscondatur) propter metum spiritus defectionis »; si vero caesuram ponas *ante* **לָא**, tunc legas oportet **לָא**, et sensus erit : « ...quod inveniat *vir quaerens*, ne *absconderit*... ». Quo de textu neque qualis interpretatio vera sit, neque utrum « *vir quaerens* » sit officii nomen necne dici potest.

⁶⁶ 1QS 6, 6 ; nota usum articuli (« ille vir »...).

⁶⁷ 1QS 8, 11/12.

e) De Maškîl

Tandem in fine certum officii nomen indicamus, quamvis neque hoc in casu conversio nominis dubio vacat. Vi enim vocabuli, משכִיל et 'intelligentem' significare potest, et illum qui 'alios intelligere facit'. Sed de facto utrumque ei convenire debuit, qui — ut cl. Nötscher et vere et pulchre dicit⁶⁸ — «magistri spiritus» munere fungebatur. Titulus ejus in memoriam revocat quosdam locos Danielis⁶⁹ ubi de doctis et eruditis qui intelligunt et alios erudiant versus laudatores leguntur, tamen semper plurali numero, cum in *Regula de Maškîl* non nisi numero singulari adhibito disseritur.⁷⁰

Si nobis judicandum esset e solis textibus qui 'morales' exigunt qualitates ut quis Maškîl esse possit, quemque membrorum Maškîl esse potuisse cendum esset — ita locus hac de re proprius IQS 9,21ss eas a Maškîl exigit virtutes quae ex universae *Regulae* doctrina cunctis Instituti membris aequa convenerunt —, sed de Maškîl proprie dicitur insuper ejus esse partis tum «filios lucis docere cunctos»⁷¹ cum «omnes pensare justitiae filios»,⁷² accedit, ut ille Maškîl postulantibus admittendis et approbandis novitiis majoris fuerit auctoritatis quam cetera Communitatis membra.⁷³ Quae omnia, ut patet, non singulorum quorumlibet esse potuerunt, sed munus constituunt atque officium obligationibus ita propriis tam bene definitum, ut nostra quidem lingua aptissime demus qui his fungebatur viro «magistri spiritus» nomen.⁷⁴

CONCLUSIO

Quibus omnibus perfectis si quis et pauca esse retur et nimis incompleta quam ut de Qumranensis Communitatis regimine, structura, ma-

⁶⁸ F. NÖTSCHER, *Vorchristliche Typen urchristlicher Ämter. Episkopos und Mebagger*, in *Die Kirche und ihre Ämter...* hg. W. Corsten, A. Protz, P. Lindem (Köln 1960) pagg. 333-334, quem et in sequenti expositione presso pede sequimur, nam brevius et pulchrius exponi non potest.

⁶⁹ cfr. Dan 11,33.25; 12,3.10.

⁷⁰ IQS 3,13; 9,12.12.

⁷¹ IQS 3,13; sequitur textus longior doctrinalis cuius substantia certe specimen quoddam institutionis a Maškîl impertienda exhibet.

⁷² IQS 9,14.

⁷³ cfr. IQS 9,15; nota vocabulum לְקַרְבֵּי quod est terminus technicus decisionis in probandorum favorem.

⁷⁴ Curiositas causa addimus hunc titulum judaismo posteriori, diversis tamen significationum discriminibus, familiarem esse. In Oriente ita appellabatur qui ex officio pauperibus consulebat, inde a Medio Aevo in Italia est titulus ho-

gistra tibus judicium sibi faciat, audiat nos nimiae in dandis notitiis parcitatis argui malle, quam astrictis sine solido fundamento hypothesibus imaginose inventis fieri reos erroris.

Breviter ergo de structura quaedam vidimus, auctoritatem 'democraticę' temperatam et penes omnibus esse et ab omnibus exerceri; coetus speciales cognovimus, si non horum exactius munera, existentiam saltem; et magistratus quos esse potuerint tandem comperimus. Si antiquae Communitatis imago, ad regimen quod attinet, non ea qua velimus claritate nec certitudine nobis documenta scruntantibus appetet, non nostra, percontantium quae in manibus habemus, est culpa, sed injuriae temporum, qua multa perierunt, et mentis ratione Antiquorum, qui non nostra recentium methodo usi documenta scripserunt.

Romae, 1961.

FR. SUITBERTUS A S. JOANNE A CRUCE, O.C.D.

norificus scientificorum virorum. In regionibus Europae orientalis inde a Mendelssohn (1729-1786) hunc titulum sibi imponunt faurores ejusdam «illustrationis» intellectualis et auctores qui a renatis litteris hebraicis nomen acceperunt.